

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Prelacio k cum fontibus primis

Sicut leuius est de plano corruere, sic grauius est qui de sublimi ceciderit dignitate quia ruina que de alto fit grauiori casu colliditur. Honor quidem episcopalis coram hominibus preclarus est; sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quanto pre ceteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabatur ruina grauior est.

Non enim est tanti gaudii excelsa tenere, quanti meroris est de excelsis corruere,

nec constat tantam gloriam sequi post uictoriam, quantam ignominiam post ruinam.

Ambrosius ibidem (in suo pastoralis).

Et ut leuius est de plano corruere, sic grauius fit, qui de sublimi ceciderit dignitate; quia ruina quae de alto est, grauiori casu colliditur. Honor quidem episcopalis coram hominibus praeclarus est; sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quanto praeceteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabatur, ruina grauior est.

Auctor incertus, *De dignitate sacerdotali*, 3 (PL 17, col.571A).

laetamur ad ascensum sed timeamus ad lapsum:

non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti moeroris de sublimioribus corruisse – neque enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium quorum abutimur donis; et nequaquam sumus de eorum salute solliciti –.

Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Hiezechielem libri XIV.*, 13, 44, 22/31 (CCSL 75, F. Glorie ed., p.669, ll.1883-1888).

haec dicimus, ut prima te, fili Rustice, fronte doceamus magna coepisse, excelsa sectari et adulescentiae, immo pubertatis, incentiua calcantem perfectae quidem aetatis gradum scandere, sed lubricum iter esse, per quod ingrederis,

nec tantam sequi gloriam post uictoriam, quantam ignominiam post ruinam.

Hieronymus Stridonensis, *Epistulae*, 125, 1 (CSEL 56, I. Hilberg ed., pp.119-20, ll.16-17, 1-4).